

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Disputatio Controversistica qua Realis Ac Substantialis praesentia corporis & sanguinis Domini in Evcharistia

**Baldinger, Bernhart
Stucki, Johann Rudolf
Heidegger, Johann Heinrich**

1669

Epistola

[urn:nbn:de:bsz:31-162645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-162645)

EPISTOLIA DEDICATORIA:

Ad

ILLUSTRISSIMUM AC

Reverendissimum Dominum

D. ODOARDUM

CYBO

Ex Principibus Massæ & Duc.

Cararia.

ARCHIEPISCOPUM

SELEUCIÆ,

ET

S. SEDIS APOSTOLICÆ

NUNTIVM

Ad Helverios, Rhatos, &c.

V*ix nostri primi Parentes, Illustrissime ac Reverendissime Domine, Cellissime PRINCEPS, delicias Paradisi terrestris gustare, cum infernalis hostis æternâ illa sibi propositâ, ac promissâ felicitate privatus, illam, quâ nostri primi parentes fruebantur, terrestrem felicitatem ipsis invidere, & omnia agere cœpit, ut illos & eâ terrestri, & illâ etiam tandem cœlesti ipsis post hanc promissâ,*

a 2

quam

EPISTOLA

quam expectabant, felicitate privaret. Et quidem, ut hoc suum tam malignum propositum consequeretur, nihil aptius esse ratus est, quam (quia, ut leo rugire quidem, at eos devorare non poterat) ut velut serpens, astutis blanditijs, primum nostra prima matri, tum per eam etiam primo Patri persuaderet, illis verbis (quibus Deus praeceperat, ne comederent de fructu ligni, quod erat in medio Paradisi, & ne tangerent illud, ne foris moriantur) vel nullam prorsus fidem adhibendam, vel in alio saltem, quam ipsi tunc illa in suo proprio sensu intelligebant, interpretanda esse. Quare, inquit: Nequaquam morte moriemini. Scit enim Deus, quod in quocunque die comederetis ex eo, aperientur oculi vestri: & eritis sicut Dij, scientes bonum & malum. (a) Quomodo enim fieri posset, volebat dicere, ut tam excellens creatura, orbis dominatrix, moriatur? Sensus testes adhiberi voluit, num aliquid mortiferum in eo fructu perciperent. Vidit igitur mulier, quod bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectuque delectabile:

DEDICATORIA.

bile: & tulit de fructu illius, & comedit: deditque viro suo, qui comedit. (b) *Sic per unum hominem (astutiâ utpote infernalis serpentis deceptum) peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors: & ita in omnes homines mors pertransijt. (c)*

At venit de cœlo alter Adam, idque, quod primus ille perdidit, hic alter rursus restituit: quoniam quidem per hominem mors: & per hominem resurrectio mortuorum. Et sicut in Adam omnes moriuntur: ita & in Christo omnes vivificabuntur. (d) Sed quo medio? Utique Pane illo de cœlo, de quo ipse ait: Ego sum Panis vivus, qui de cœlo descendi. Si quis manducaverit ex hoc Pane, vivet in æternum: & Panis, quem ego dabo, Caro mea est pro mundi vitâ. Joan. 6. 51. Quid autem invidiosissimus ille serpens jam agit, ut à tam salutari cibo miseros mortales, ne rursus felices & immortales reddantur, abducatur? Id ipsum, quod, dum felices & immortales essent, fecit, ut fierent miseri & mortales. Astutiâ nempe suâ omnia agit, ut incautis, & curiosis per-
sua-

EPISTOLA

suadeat, verba illa, quæ Salvator ad charissimos suos discipulos (quibus maxima sua mysteria revelare solebat) dixerat, dum cum illis in ultimâ cenâ confidentissimè conviveret: Accipite & comedite: Hoc est corpus meum &c. Et rursus: Bibite ex hoc omnes: Hic est enim sanguis meus &c. Hæc, inquam, verba vel falsa esse: vel saltem, si falsa dicere nolint, in alio, quàm proprio sensu, interpretanda esse, quàm prius interpretata fuerint, suadet. Quomodo enim fieri posset, inquit, ut ipse Deus & homo in parvâ hostiâ præsens adsit! Curiosos provocat ad testimonium sensuum, uti Evam, nempe ut videant, & gustent, an aliud, quàm merum panem inveniant. Hinc fit, ut miseri decipiantur, & realem ac substantialem Christi præsentiam in Euchar. Christi non credant, verum cibum æternæ vitæ negligant, ne dicam, (quemadmodum olim Israhelita cœlestem manna) nauscant, & pro sole umbram, & pro veritate figuram, puta, relicto vero Christi corpore, merum panem naturalem appetant, & sumant.

*Non dubito, Illustrissime Princeps,
quis*

DEDICATORIA.

quin pro Tuâ erga animas Christi sanguine redemptas innatâ pietate, nec non veritatis Catholicæ ardentissimo zelo miseram horum hominum sortem semper ex animo dolueris, & nunc præsertim, dum à Sanctâ Sede Apostolicâ Legatus ad Helvetiam nostram advenisti, vehementius doleas, & ideo non modò pro iis ferventissimas ad Deum preces fundas, sed etiam pro Apostolicæ dignitatis Tuæ officio omnia agere studeas, ut hi astu demonis excecati, à Deo illuminari mereantur, ut appetant, & consequantur illam felicitatem, quâ privati miseri vivunt. Salvator noster videns turbam magnam, quæ ipsum sequebatur, non habere, quod manducaret, ex intimis visceribus commotus se ad discipulos convertit, quarens: Unde ememus panes, ut manducent hi? Quoties animum Tuum, Celsiss. Princeps, ut providus Pater commiseratione motus, ad Catholicos Pastores convertisti, quarens medium, quo fiat: ut manducent & hi? Nec opus est emere, (parata enim sunt omnia) modò invitati ad cœnam magnam accedere non negligerent. Verum quidem est, hi non

EPISTOLA

sequuntur eum Pastorem, nec vocem ejus audiunt, quem Christus suum in terris Vicarium esse, suasque oves pascere iussit; at ob hoc non omnes lupi censendi sunt, sed oves in deserto errantes (qui & quot illorum sint, novit Scrutator cordium Deus) nam qui sententiam, quantumvis falsam, atque perversam, nullâ pertinaci animositate, defendunt, præsertim quam non audaciâ suæ præsumptionis pepererunt; sed à seductis, & in errorem lapsis parentibus acceperunt, quærunt autem cautâ solitudine veritatem, corrigi parati, cum invenerint, nequaquam sunt inter hæreticos deputandi. (e) Hi ergo non ut lupi à grege Domini, ejusque uberrimis pascuis repellendi, sed ut oves in deserto errantes, ne defectu cibi arescant ac deficiant, ad pascua reducendi sunt.

Hæc dum attentius mecum considerarem, sumpsi animum, ut, rubore, qui me aliquantum retrahebat, seposito, ad Illustrissimam Celsitudinem Tuam, ignotus quidem, at verò, ut servum decet erga Dominum, optimè affectus accederem, hancque Disputationem, qua eò dirigi-

tur,

DEDICATORIA.

tur, ut nontam nostri in Catholicâ fide
firmentur, & realem ac substantialem
corporis & sanguinis Christi in Eucharis-
tiâ præsentiam indubitatè credere per-
gant, sed etiam, ut & aliæ errantes oves,
seposito errore, hoc ipsum facilius cognos-
cant & credant, & ita ad ovile veri Pa-
storis redeant, ejusque saluberrimis
pascuis fruantur, nec non majori con-
cordiâ cum Catholicis Helvetis vivant,
& civili pace securius frui pergant.
Non potui ergò dubitare, quin gratum
Tuæ Illustrissimæ Celsitudini adve-
niat id, quod ad idipsum tendit, cujus
tam ardenti detinetur desiderio.

Accedit, quòd sciam, Illustrissimam
Celsitudinem Tuam florem esse ex stir-
pe Illustrissimæ ac Celsissimæ Familiæ,
Cybo cognominatæ: quare persuasi
mihi, cùm hæc Cell. Tua Familia non à
cibo quidem, sed à Cybo, nomen trahat,
minus ingratâ fore Disputationem hanc,
quæ cunctis mortalibus cibum, qui dat
vitam æternam, quàm potest optimè, re-
commendat, & contra Adversarios for-
titer propugnat. Novi quoque, quòd
hæc Illust. & Cels. Familia Tua originem

EPISTOLA.

ab illis toto orbe famosissimis Troianis
trahat, ex qua non modò Reges fortissi-
mos Duces, sed & Ecclesia Catholica duo-
decim Eminentissimos Cardinales, imò &
duos summos Pontifices accepit, taceo E-
piscopos penè innumeros, præter B. Mar-
tinum Abbatem sanctitate in terris &
nunc in celo beatitudine gloriosissimum.
Ecclesia, se felicem esse, agnovit, si eos Pa-
stores ac Principes habeat, qui ex hac Il-
lust. Cels. Familia Cyborum orti non tam
origine antiquissimi, quàm & literarum
studiofissimi, nec non Religione in Deum,
ac pietate in subditos, quin & humani-
tate erga omnes ad se accedentes piissimi
esse solent. Cur ergò timeam, me repellen-
dum? Forsan, quia hac Illust. Cels. Fami-
lia Tua Principatu Massæ & Ducatu
Carariæ potitur, & à primis Italia Prin-
cipibus tanti aestimatur, ut sibi congaudeant,
dum per connubia huic Tuæ Illust.
ac Cels. Familiæ suas Familias conjun-
gere possunt? Ob hoc felicem me dicam,
si merebor in humillimum servum admit-
ti. Sed quid his immoror? Non cogito,
(vires enim meas excederet) elogiū Tuæ
vel Illust. & Cels. Familiæ, vel Personæ

c. 17.

DEDICATORIA.

conscribere (aquila generare solet aquilas) sed solum causas indicare, quam ab accessu ad Illust. Cels. Tuam ium absterrebant, tum ad eum excitabant. Unicuique superest, quod humillimè supplico, nempe, ne spem meam irritam esse sinat Ill. Cels. Tua, sed annatâ suâ humanitate id, quod offero, dignetur suscipere & protegere suâ, qua potest Authoritate. Hanc Deus T. O. M. pro Illust. & Cels. Familiæ & Illust. Celsitudinis Tuæ meritis augere velit. Hoc oro, hoc obsecro. Bada Helvet. die 7. Sept. 1673.

Illustrissimæ ac Reverendissimæ
Celsitudinis Tuæ

Humillimus Servus

Carolus Baldinger.

(a) Gen. 3. v. 4. (b) Gen. 3. v. 6.
(c) Rom. 5. v. 12. (d) 1. Cor. 15. v. 21. (e) Can. Hærelis. 27. in cap. 1. dixit Apost. q. 3. ex August. epist. 162.
Et de civit. Dei. lib 18. cap. 51.

PRÆ-